

nec qualia essent, funditus alii *everterunt* suas civitates, alii ipsi occiderunt. Atque hi quidem optima petentes, non tam voluntate, quam cursus errore falluntur. Quid? qui pecuniæ cupiditate, qui voluptatum libidine feruntur: quorumque ita perturbantur animi, ut non multum absint ab insania, quod insipientibus contingit omnibus, his nullane est adhibenda curatio? Utrum quod minus noceant animi ægrotationes, quam corporis? an, quod corpora curari possint, animorum medicina nulla sit?

At et morbi perniciosiores pluresque sunt animi, quam corporis. Hi enim ipsi odiosi sunt, quod ad animum pertinent, eumque sollicitant: *animusque æger*, ut ait Ennius, *semper errat, neque pati, neque perpeti potest*; cupere nunquam desinit. Quibus duobus morbis (ut omittam alios), ægitudine et cupiditate, qui tandem possunt in corpore esse graviore? Quis vero probari potest, ut sibi mederi animus non possit, quum ipsam medicinam corporis animus invenerit? quumque ad eorum sanationem multum ipsa corpora et natura valeant, nec omnes, qui curari se passi sunt, continuo etiam convalescant: animi autem, qui se sanari voluerint, præceptisque sapientium paruerint, sine ulla dubitatione sanentur? Est profecto animi medicina, philosophia: cujus auxilium non, ut in corporis morbis, petendum est foris; omnibusque opibus et viribus, ut nosmet ipsi nobis mederi possimus, elaborandum est.

Tusc. V., 2, 3, 4. Vitiorum peccatorumque nostrorum omnis a philosophia petenda correctio est. Cujus in sinum quum a primis temporibus ætatis nostra voluntas studiumque nos compulisset, his gravissimis casibus in eundem portum, ex quo eramus egressi, magna jactati tempestate confugimus. O vitæ philosophia dux! o virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum! quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu urbes peperisti; tu dissipatos homines in societatem vitæ convocasti; tu eos inter se primo